DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FEBRI CONTINUA.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FEBRI CONTINUA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ELLIOT O'DONNELL,

AMERICANUS.

COL. REG. CHIR. LOND. SOCIUS.

SOCIET. MED. T. C. D. SOCIUS.

SOCIET. MED. CHIR. EDINB. SOCIUS.

"Ut vitrum ex officina prodit fragile, sic homines debiles, caduci, morbis opportuni, nascuntur."

GREGORY'S CONSPECTUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ALEX. SMELLIE,

ACADEMIÆ TYPOGRAPHUS.

M,DCCCXXI.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

VIRO EXIMIO,

AVUNCULO SUO PATERNO,

H. A. O'DONNEL, C. B.

COPIARUM HONORANDÆ

SODALITATIS INDIÆ ORIENTALIS,

APUD QUAM

PER TRIGINTA SEPTEMQUE ANNOS

HONORIFICENTISSIME STIPENDIUM FECIT,

TRIBUNO,

&c. &c. &c.

ANIMI VIRTUTIBUS, MORUM COMITATE, INSIGNI,

HASCE PAGINAS

SUORUM STUDIORUM PRIMITIAS,

PROPTER MILLE BENEFICIA,

PROPTER AMOREM FERE PATERNUM

QUA EUM DIGNATUS EST,

GRATISSIMUS,

LUBENTISSIMO CORDE ATQUE ANIMO

CONSECRAT

AUCTOR.

NEC NON

FRATRI CARRISSIMO SUO

MAJORI NATU

COLUMBO O'DONNEL,

HANCCE DISSERTATIUNCULAM,

LEVE AC FUGAX MONUMENTUM

PERPETUÆ CARITATIS,

AC FRATERNI AMORIS,

PIGNUS,

INSCRIBIT

ELLIOT O'DONNEL.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRI CONTINUA.

PROŒMIUM.

Decreto almæ hujus Academiæ obtemperaturus, scilicet unumquemque, summos in medicina honores ambientem, opusculum de re quavis medica proferre jubenti, pauca de Febri Continua disserere statui, quoniam inter omnes morbos, varios et fere innumeros, quibus mortales plectuntur, nullus magis enixe medicorum attentionem sibi vindicare videtur, utpote qui frequentissimè

inter homines grassatur, et nunquam periculo caret.

Nec juvenes viribus fisi, nec longo annorum lapsu fracti senes, hâc dirâ peste incolumes sunt.

SYNOCHUS.

" Morbus contagiosus. Febris ex synocha et typho composita, initio synocha, progressu et versus finem typhus."

Tum subnectit se inter typhum et synochum limites accuratos ponere non posse, et an revera pro diversis generibus habenda sint, Gregorius, academia Edinensi præclarus Rei Practicæ professor, se raro (si unquam) puram typhum vidisse fatetur; omnemque febrem, quam epidemice sævire videmus, ad synochum potius pertinere ratus: Scilicet, debilitatis signa, typhi propria, effectus esse prioris incitationis ; eamque semper subsequi. Eadem sententia Doctori Armstrong est, multisque scriptoribus recentioribus.

Inclyto Culleno typhus sic definitur: "Morbus contagiosus; calor parum auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatæ; vires multum imminutæ." Sed synochi typhus varietas est.

HISTORIA MORBI.

Inter omnes medicos nunc convenit, hanc febrem contagione excitari; sed quanto post tempore, quam in corpus recepta sit, incipiat adversa valetudo, haud compertum est. Hoc autem mihi pendere videtur ex proclivitate corporis ad contagionem suscipiendam, vel ex tabe fortè magis minusve pestilenta; cœli vicissitudinibus; frequentia contagii; et temperamentis ægrorum diversis. Accessio synochi nonnunquam est valde insidiosa, et in plurimis exemplis symptomata adeo sunt levia ut æger non queratur, sed officiis suis solitis fungitur. Plerumque vero, paucos post dies quam materia morbi-

fica corpus intraverit, sensus frigoris cum calore alternantis percipitur; tunc adsunt nausea et vomitus, cum doloribus variarum corporis partium, sed præsertim dorsi et lumborum; jam æger affligitur gravedine, vertigine, et dolore capitis; animus tristis, et multum demissus. Timore malorum futurorum torquetur; ventriculus languidus fit, et omnes cibos firmiores recusat, sed maxime diætam ex carne fastidit. Simul pulsus frequens, et lingua albida evadit, tamen fere sitis non multum urget.

Neque calor plurimum auctus, quamquam summa cutis arida est, et ægrotus de calore multum conqueritur. Symptomata graviora mane aliquantum levantur, sed vesperi iterum ingravescunt. Noctu æger somnum reficientem non carpit; qui, si forte obrepat, parum levaminis affert, insomniis diris subito miserum excitantibus. Æger his affectionibus plus minusve laborat, antequam se totum lecto affigere coactus est; ad res autem gerendas, ut solebat, prorsus invalidus. Hoc vel simili modo per primos

dies afficitur ægrotus. Die quinto vel sexto, citius seriusve, omnia in pejus ruunt. Symptomata nunc valde aggravantur, et æger se urgeri magna debilitate conqueri incipit. Vires artuum adeo imminutæ sunt, ut erectus sine auxilio stare non potest. Dolor capitis ingravescit; nunc horror, gravedo, vertigo, magis magisque sæviunt, etiam tinnitus aurium, dolor dorsi et lumborum, eodem tempore adsunt. Oppressio circa præcordia laboriosa, nausea, vomitus, vehementius opprimunt: proclivitas ad syncopen, conando se tollere erectum, quoque accidit.

Tinnitus aurium, in hoc stadio occurrens, delirii prænuncius est. Delirium ferox Culleni rarius observatum est quam typhomania. Ægros sæpe sibi aliquid mussitantes, cognovi, atque cum aliquis illos allocutus est, optime responderunt. Facies fere pallida est, sed aliquando rubet; interdum genæ rubent et calescunt, dum extremitates nasi et aurium frigidæ repèriuntur; et frons madida fit, frigidis et glutinosis sudoribus super eam erumpentibus; nunc deli-

rium indesinenter urget, æger incongrua mussitat, et quæ nemo astantium intelligere potest. Jam observantur subsultus tendinum, cum tremore manuum; lingua, quæ initio albidi coloris fuit, nunc fuscioris evadit, et nonnunquam tumet. Dentes, densis subnigræ materiæ crustis, quæ labris adhærescit, obducuntur; quidcunque devoratum habet saporem amarum; sed interdum acida sunt ægro jucunda.

Urina initio pallida vel limpida, vapidæ tenuis cerevisiæ haud absimilis, in progressu morbi vero subfusca fit; interdum secundum Huxham, aliosque, nigra et fœtida. Aliquando maculæ modo rubræ, modo subrubræ, alias subfuscæ, in variis corporis partibus, sed potissimum in dorso et pectore, deteguntur. Hæ petechiæ nuncupantur; in facie nunquam observantur, in cruribus et brachiis interdum sed rarius. Incerto morbi die apparent, aliquando circiter quartum aut quintum, alias non ante decimum quartum. An hoc pendeat ex natura contagionis quæ morbum excitat, plus minus vene-

nosa, an ex modo ægrum tractandi, incertus sum. In provectiore morbi stadio, debilitas, ob auctam violentiam omnium symptomatum, quæ enumeravi, magis magisque urget. Sudores copiosiores et constantiores evadunt; diarrhœa molesta supervenit. Membrorum extremitates nunc continuo frigent, et ob defectum virium subsultus tendinum increscit. Æger plerumque lucis impatiens fit; sed alii sensus frequentissime obtusi evadunt. Symptomata graviora morbi nunc apparent.

Toto corpore adeo laborante, pulmonibus sua mala haud desunt. Respiratio summo labore perficitur; suspiria ab imo pectore crebro ducuntur; ægrum anxietas, et sensus alicujus præcordia quasi constringentis, invadunt; raro diu adest hæc febris, quin visceris alicujus interni, inflammatione vel congestione laborantis, indicia manifesta evadunt. Pulmones, ventriculus, intestina, cerebrum, sæpius plecti videntur. Sed hepar, lien, pancreas, peritonæum, omentum, identidem occupantur.

Hæc signa, propter sensum intellectumque febrientis confusos, sæpe tam medico quam ægro negliguntur, et in mortem hujus sæpenumerò desinunt.

Nihilominus, ut hanc ob causam nomen novum cuique earum inflammationum adderemus, uti Doctori Mills visum est, minime opus est. Melius erit speciem inflammatoriam, vel congestivam, cum Doctissimo Armstrong admittere; quando congestiones absunt, febrem simplicem nuncupare debemus. Pressu in sedem organi dolorem efficiénte, has adesse judices. Adventante morte, oculi immobiles et concavi fiunt; vultus collapsus lugubrem et cadaverosum aspectum exhibet. Æger flocculos legit ante oculos ludere apparentes; vox deficit, aut adeo debilis fit, ut astantibus vix audiri potest.

Deglutire prorsus invalidus; ictus arteriarum adeo debiles atque celeres reperiuntur, ut vix numerari queant; urina et fœces inscio ægro redduntur; sine causa evidente lacrymæ defluunt; apthæ nigri coloris circa os et linguam

et in faucibus, nec non vibices in variis corporis partibus, sese manifestant. Non raro sanguis e naribus, gingivis, intestinis, aliisque partibus profunditur; sed rarissime iis febricitantibus qui liberalibus sanguinis vel alvi evacuationibus curati sunt. Æger, ore aperto, resupinus jacet, et ad lectum imum delabitur; raro se movet, vel corporis posituram mutat. Jam jam delirium gravius urget, et æger disjuncta mussitat, et subsultus tendinum, cum manuum motibus non voluntariis, succedit. Omnia nunc symptomata testantur mortem appropinquare; singultus, tremores universales, animi defectiones, convulsiones, ultimas scintillas vitæ extinguunt, curisque finem imponunt. Quodad durationem hujus morbi attinet, nihil certe judicari potest. Aliquando circiter quintum ad septimum diem æger convalescere incipit, sed hoc raro accidit; nam sæpe protrahitur ad decimum quintum; imo ad vigesimum. Sic morbus pergit, lethalis futurus; sed feliciter evenit, ut sub hoc cœlo plerique casus fauste desinant.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causæ, ex quibus hic morbus originem ducit, in prædisponentes et excitantes fere dividuntur. Febris omnibus anni temporibus sese ostendit. Sed plerumque frigida anni tempestate occurrit. Experientia satis manifeste docet, omnia, quæ corpus humanum debilitandi potestatem habent, illud reddere aptius ut contagione afficiatur. Inter hæc medici annumeravere vitam sedentariam, exinanitiones nimias, deprimentia animi pathemata, venerem nimis cultam, intemperantiam, inediam longam, calorem, et frigus.

1. Vita Sedentaria. Exercitationem ad sanitatem et incolumitatem animi et corporis conducere, nemo ignorat. Nisi corpus debita exercitatione firmatum sit, motus sanguinis languet, musculi et nervi vires amittunt, et ob ventriculi atoniam, concoctio non rite perficitur. Corpus sic relaxatum ad hanc febrem magis proclive fit.

2. Exinanitiones nimiæ. Modica vasorum

plenitudo, ut stimulus distentionis, ad sanitatem necessaria est; hinc ratio fit, quod magna sanguinis jactura, sudores profusi, alvique profluvium, ingentem debilitatem inducunt.

3. Pathemata animi. Tantam sympatiam inter corpus et mentem subsistere scimus, ut hæc vix perturbari potest, quin illud male afficitur, et particeps affectionis fiat. Metus præcipue homines contagioni valde opportunos reddit.

Ipse ego hos contagio immunes evadere vidi qui periculum spreverant; dum contra timidi et mæsti contage correpti fuerunt.

4. Intemperantia et inedia. Quantum sanitati animi et corporis intemperantia noceat, neminem latet. Contrá corpus debilitatum et opportunum febri redditur, si alimentum nimis parcum sit, vel ea natura ut non satis nutrimenti præbeat.

5. Calor. Calorem nimium debilitare, et homines ad hunc morbum proclives reddere, nonnullis videtur, eo quod Typhus pestifera, vel potius pestis ipsa, regionibus calidioribus late reg-

net. Memoria vero tenendum est, pestem et Typhum diversos esse morbos: atque Typhum, vel febrem epidemicam nostram, hyeme semper gravius sævire, atque ea plerumque tempestate oriri. Quin Brancroft, bonus de febre auctor, febrem nostram unquam intra tropicos circulos, id est ad regiones fervidas, accedere negat: certe non nisi raro ibi apparet. Proporro, ea quam describimus febris, caloribus æstivis sæpe etiam apud hasce insulas extinguitur.

6. Frigus intensum, aut nimis diuturnum, animalibus atque plantis valde nocivum, præsertim humiditate conjunctum, corpori humano nocere, multos morbos excitare, proclivitatemque ad febres epidemicas facere, satis constat, utpote quæ febris regionibus sæpe frigidis simul ac temperatis dominetur. Omnia, vel plura horum, ita concurrentia, corpus humanum adeo debilitant, ut hoc magis causis excitantibus opportunum reddant.

CAUSÆ EXCITANTES.

Omnium causarum excitantium, contagium peculiare, sine dubio, usitatissimum est. Natura ejus multum in occulto est, et fortasse diu latebit. Suis effectibus solum cognoscitur; de eo, itaque, non possum affirmate dicere. Multi opinantur hanc febrem excitari vaporibus ex animalibus, vel ex terra natis, dum putrescunt, exhalentibus; huic autem opinioni accedere non possumus, quia quotidie videmus multos exhalationibus putridis obnoxios, quales lanii, coriarii, vel qui cadaverum sectionibus occupantur; et tamen incolumes remanent. Me judice, concludere licet, causam excitantem hujus febris esse contagium sui generis, quod ex ipso humano corpore, vel ex fomitibus, semper exhalat. Potest tamen hæc contagio ex humanis corporibus bifariam oriri. Potest enim corpus exhalans febre laborare; et hoc modo utique contagio frequentissime propagatur.

Attamen, multa exempla indubia hujus contagionis narrantur, quibus e corporibus non febrientium, neque vero ullo modo laborantium, orta est; qualiter apud judicia *nigra*, ut vocantur Oxonii, atque forum Old Bailey dictum, memorari solet.

Quis enim dubitare potest, quin contagio squalore et impuritate carceris apud accusatos contracta est, et ab iis cum præsentibus in foro communicata. Morbum ex fomitibus contractum magis periculosum est, quam ex homine ipso laborante, medicis innumeris creditum est. "It appears to me probable," inquit Celeb. Cullenus, "that contagions, as they arise from fomites, are more powerful than as they arise immediately from the human body." Neque contagium longe lateque per auram se dispergit; sed non in hac febri solum, verum etiam in omnibus aliis morbis contagiosis, fortasse ad paucas ulnas, verisimile ad paucas pedes, tantum ab ægrotis se in aera extendit.

Aer quoque impurus et humidulus ad contagium vulgandùm multum operæ confert.

De causa febris proxima, medici omni ævo intentius disputavere, et etiam multum scripsere: adhuc tamen latet, et fortasse diu latebit.

DE DIAGNOSI.

Quanquam, prima accessione, hæc aliis febribus adeo similis, ut ab iis difficilime internoscatur, paulo post, tamen, notas sibi proprias exhibet, quibus ab omnibus satis distinguatur.

A peste distinguitur subito hujus accessu; rapido progressu: bubonibus; anthracibus; vibicibus; quæ omnia raro adsunt in febre hujus regionis, in peste quasi semper, leges etiam quibus pestis propagatur, utpote cui contactus necessarius sit, diversissimæ. Febris flava regionum calidarum et olim et nuper cum synocho confusa est. Equidem ni ad causam diversam respicias, haud ita facile fit discrimen.

Febris enim flava non contagiosa est; saltem non eodem quo synochus gradu. Ingens capitis dolor, delirium, ventriculi inflammatio, vomitus niger, dolores membrorum excruciantes, cutis flavida, mortes frequentes, febrem discernere debent; sed fateor, distinctionem valde difficilem esse. Theoria Doctoris Clutterbuck similitudinem aliquam invenit inter hanc febrem et phrenitidem, quin eundem facere morbum laborat. Nemo autem, qui phrenitidem vulneri accedentem (aliàs enim rarissimus morbus est), observavit, hos duos morbos facile misceret. In phrenitide vires auctæ sunt, in febre minutæ; in illa oculus nitidus, hac sordidus et obscurus; animus phreniticorum hilaris, alacris,—febrientium hebes et iners; atque multa istiusmodi sunt, quæ hunc morbum a febre distinguunt. Simili ratione ab aliis internis inflammationibus distingui potest.

DE PROGNOSI.

Prognosis in hoc morbo cum cautione dicenda est.

Signa, quæ solatium præbent, sunt lingua nitida et humida; sitis moderatior; delirium leve, neque oriens mature; saliva copiosior, appetentia cibi simul redeunte; vires non multum fractæ; somnus per noctem et levis; diarrhœa moderatior, cum remissione symptomatum, præcipue doloris capitis; sudores leves et calidi per totum corpus, neque per remedia stimulantia excitati; pulsus plenior et tardior ex usu remediorum cardiacorum; delirium et dolor capitis vino vel opio levata; et si, provecto morbo, urina turbida et magna copia reddatur.

Signa, contra, infausta, et quæ terrorem incutiunt, sunt facies pallida et collapsa; vires adeo imminutæ, ut æger non valeat in alterutrum latus recumbere, sed ad imum lectum delabatur; lingua arida sordidaque; devoratio difficilis;

ventriculi debilitas, cum anorexia, nausea et vomitu; dejectiones frequentes, cruentæ, et fœtidæ; pulsus parvus, frequens, et debilissimus; delirium atrox et perpetuum; hebetudo oculorum; deliquium animi ex erecto corporis situ; respiratio difficilis; frigidi sudores in quibusdam partibus tantum orti; muscæ volitantes; fœces et urina inscio ægro redditæ; abdomen tumidum; totius corporis fœtor cadaverosus; singultus; subsultus tendinum; musculorum convulsiones. Membra frigescunt, unguesque livescunt, et hæmorrhagiæ gangrenosæ superveniunt: nunc omnis spes evanescit, et mors instat, miserisque finem imponit.

RATIO MEDENDI.

Consilia medendi hæc tria sequentia sunt; primo, impetum febris rumpere, eique occurrere; secundo, eaudem temperare; et tertio, signa urgentia mitigare. Inter remedia, quibus consilium primum peragitur, præcipua, sunt emetica, laxan-

tia, diluentia, et affusio frigida. Morbi initio, summi momenti est remedia utilissima adhibere: Nam, hoc tempore præterito, summis viribus conandum est. Emetica (nisi impetus sanguinis caput versus nimius sit), multum laudantur ob potentiam febrem discutiendi. Procul dubio, si mature adhibeantur, maximam utilitatem præbent; haud raro morbum invadentem fugant. Multo minus nunc quam olim usurpantur; sensumque frigoris, sanguinem per totum corpus distribuendo, tollunt, et sordes, quibus stomachus et intestina gravantur, evacuunt. Inter medicamenta, quibus vomitus excitatur, his regionibus, præcipua, sunt ipecacuanha et tartras antimonii. Ipecacuanha mitis est, et, si æger multum debilitatus sit, præparatis ex antimonio anteponenda est. Multi medici tamen opinantur, præparationes antimonii, majore vi, ad febres discutiendas, quam ullum aliud medicamentum, pollere. Tartras antimonii, aqua solutus atque exiguis dosibus sumptus, et omni quadrante horæ repetitis, donec supervenerit vomitus, spei optime respondet. Alvi plerumque durities, ty-

phum comitans, symptomata omnia intendit; ergo ratio in promptu est, cur in hoc morbo purgantia præcipue conveniunt; sunt autem non solum utilia ad intestina deplendum ex rebus acrioribus et putridis, quæ jam in corpore subsunt, et corpori multam irritationem dant, verum etiam ad impetum sanguinis caput versus auctum tollendum. Doctor Hamilton hanc methodum valde laudat, et de remediis purgantibus ita scripsit: "I have directed a strict attention to this practice for a long time, and am now thoroughly persuaded, that the full and regular evacuation of the bowels relieves the oppression of the stomach, cleans the loaded and parched tongue, and mitigates thirst, restlessness, and heat of surface; that thus the latter and more formidable impression on the nervous system is prevented, recovery more certainly and speedily promoted, and the danger of relapsing into the fever much diminished. I am disposed to refer the superior utility of purgative medicines, in Typhus fever, to the circumstance of their oper-

ating through the whole length of the intestinal canal; to their acting upon an organ, the healthy functions of which are essential to recovery in a manner that is consonant to the course of nature, by propelling its contents from above downwards; and by their moving and completely evacuating the feculent matter, which, in this case, becomes offensive and irritating. Constipation, together with the change which fever appears to produce in the fluids secreted into the intestines, seems to be the cause of this alteration in the state of the fœces.

The purgative medicines which I have chiefly employed in fever, are, calomel, calomel and jalap, compound powder of jalap, aloes, solutions of any mild neutral salt, infusion of senna, and sometimes the two last medicines combined.*"

Remediorum purgantium utilitati immorari supervacaneum duco, quia, sine ope eorum, om-

* *Vide* Hamilton on Purgative Medicines.

nia alia remedia laudata ad febrem debellandam inutilia sunt.

Diluentia exhalationem per cutem excitando, (diathesi phlogistica, si ulla adsit, remediis idoneis mitigata) plurimum conferunt. Inter hæc præcipua sunt, cerevisia tenuis, decoctum hordei, infusum lini acido, tartarico, vel citrico, acidulatum. Fortasse cum beneficio sales neutri adhibeantur, quales sunt nitras potassæ, citras potassæ, et acetas ammoniæ.

Nunc ad remedium, in omnibus terræ regionibus multum et merito laudatum, venio. Affusio frigida, ad febrem invadentem arcendam, plurimum auxilii confert, si mox post impetum adhibeatur, et calor corporis non minor sit quam gradus nonagesimus octavus Thermometri Fahrenheitiani,—si nullus frigoris sensus vel algoris, vel sudationis, et signis catarrhi absentibus,—nullo ex tribus magnis cavis corporis inflammatione correpto; quo promptius nunc adhibita, eo magis febrem tollere polleat. Aqua frigida super corpus ægri nudatum ex alto fundatur;

deinde æger bene siccandus atque statim in lecto suo ponendus est. Post affusionem frigidam, omnia symptomata leviora evadunt; calor plurimum imminutus; sudor levis et æqualis excitatur; etiam sitim sublevat, et nauseam sedat. Nunc, vero, æger somno frui potest, et ab eo expergiscitur, mirum in modum refectus: postea dolor capitis evanescit, animus tranquillus et collectus fit. Si medicus præscribere timeat ut æger in frigidarium descendat, quia nunc morbus aliquot dies duraverit, totum corpus lavari potest aqua frigida vel tepida, prout calor sit, cum aceto mixta, haud sine commodo insigni.

Quando quidem signa supra dicta inflammationis viscere aliquo interno manifesta sunt, pulsus, uti sæpe accedit, plenus et firmus est, facies suffusa, oculi rubri, dolor capitis acutus, tum sanguinem mittere optime juvat. Sive enim inflammatio ea sit, sive congestio, quæ mala omnia ingerit, copia sanguinis subducta irritationem compescit, dolorem mitigat, secretiones et

excretiones faciliores reddit, somnum conciliat, febrem denique aut intercedit, aut frangit. Vide, hac de medicina, Welsh on Fever, Mills, Graham, Duncan's Medical Reports,—Edinburgh Med. & Surgical Journal, 1818, 1819, 1820.

Medicamenta, quibus his temporibus medici fiduciam imponunt, ad debilitatem, quæ febris progressu occurrit, removendam, hæc sunt, cortex cinchonæ, vinum, et opium.

Cinchona in febribus intermittentibus, aliisque morbis debilitatis, plurimum pollet, et in continua spei haud raro respondet, si tanta quantitate, quantam stomachus ferre potest, assumpta sit. Opium, in quibusdam febribus, nullo præsente capitis dolore, multum opitulatur. Delirium sedat; somnum conciliat; diarrhœam cohibet; et pro cardiaco rite adhibitum plurimum prodest.

Frigus roborante vi indutum esse haud dubitari potest; ergo applicari debet per liberam intromissionem aëris frigidi in cubiculum, sive per administrationem aquæ frigidæ pro potu. Notan-

dum, vero, velim, aëra frigidum non tantum frigore suo roborare, quantum stimulo suo proprio, et legibus vitæ consentaneo, quem pulmonibus, et inde universo corpori, impertit. Neque, vero, aqua frigida, uti Jackson (on Fevers), bene ostendit, ut aqua simplex frigidaque operatur. Humores diluit, et renovando, stimulum saniorem vasculis laborantibus affert. In ea specie hujus febris, quæ a Culleno typhus gravior appellatus sit, debilitas tam magna est, ut sanguis et humores in putridinem vergere putantur. Huic vitio obstare nos oportet, roborantia et stimulantia, de quibus antea dixi, haud parca manu adhibendo. Frigus, utpote vim insignem antisepticam possidens, libere corpori admoveri debet.

Sed omnium remediorum quibus, in febre uti solemus, nullum magis laudatur quam flos cerevisiæ. Febres putridas, ut vocatæ fuerint, hoc solo remedio curatas fuisse, certiores facti sumus.

Haud improbabile est, acidum carbonicum, ob ejus vim antisepticam, proclivitati ad putridinem, quam contenta ventriculi et tubi intestinalis habent, hoc in modo obstare.

DE PROPHYLAXI.

Hic morbus, semel procreatus, longe lateque se extendit, et "vires acquirit eundo."

Simul atque morbus se manifestat, æger in partem ædificii bene ventilatam amoveri debet. Aer quoque salubris libere admittendus. Summa munditia observanda est: Maximi momenti, per totum cursum morbi, omnes exercitationes evitare, et præcipue a calore externo cavere. Vestimenta sordida in aquam calidam statim conjici, postea siccari, et vaporibus exponi, opus est. Nulli, præter eos qui inserviunt, ægrotantes appropinquare debent; qui, ne super lectum febrientis sedeant, aut ne halitui, ex ejus corpore illico orienti, sese exponant, moveri debent.

Spongia, aceto madefacta, et naribus accedentium ægrotis applicata, multum confert.

Hic silentio præterire non possum methodum Doctoris Goss, Genevensis, quâ impurorum inhalatio prohibeatur. Apparatus, quem doctissimus vir proposuit, simplex est, et unius spongiæ impendio, medici sine periculo ægros invisere ejus auxilio tuto possent.

Diaeta nutriens adhibenda. Utendum est etiam exercitatione parca, unà cum quantitate vini modica.

Valde necessarium est ut saliva ex ore subinde eluatur, et mucus ab naso item emungatur.

Omnes affectus animum deprimentes evitentur; nam de eis (ut Wilson scribit) "few things are better preservatives against infection than fortitude and equanimity." Cum, per prudentem administrationem omnium remediorum quæ enumeravi, morbus fauste terminaverit, et æger nunc convalescere incipiat; ne iterum in febrem homo recidat, cura adhibenda est. Per diætam levem et concoctu facilem, et exercitationem moderatam, qualis non multum fatiget,

omnis intemperantia utique evitanda est, donec æger vires solitas recuperaverit, adque pristinam valetudinem redierit.

FINIS.